

**www.e-rara.ch**

**Theologia Mariana**

**Sedlmayr, Virgil**

**[München], MDCCLVIII**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Ro 473 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-67881>

Quaestio V. De beata virgine relate ad deum trinum.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



## QUÆSTIO V.

DE

### BEATA VIRGINE RELATE AD DEUM TRINUM.

#### ARTICULUS I.

*Utrum Beatissima Virgo sit Primogenita Filia Dei Patris.*

N. 1894. **O**bservo, nomen Patris sumi notionaliter, & essentialiter. *Notionaliter* prout convenit primæ in Trinitate Personæ tanquam Sanctissimæ Trinitatis principio. *Essentialiter*, prout convenit Deo, seu omnibus personis per eandem omnipotentiam adextra operantibus, quamvis omnipotentia soleat primæ in Trinitate Personæ tanquam omnium rerum principio adscribi, & sic etiam Paternitas adextra ei attribuitur, & convenit quadruplici titulo. *Primò* titulo Creationis, qua nos ad similitudinem suam creavit. *Secundò*, titulo Redemptionis, quâ nos per Christi mortem redemit. *Tertiò*, titulo Adoptionis, qua nos per gratiam suam in filios adoptavit. *Quartò*, titulo Vocationis, qua nos ad cœlestem hæreditatem vocavit. Quæritur nunc, utrum B. Virgo sit primogenita filia Dei Patris omnibus his quatuor modis. Ad quod

N. 1895. Dico *primò*, B. Virgo est Filia Primogenita Dei Patris imprimis titulo *Creationis*, non quidem quoad existentiam physicam, & temporaneam, sed quoad intentionalem in mente, & serie decretorum Dei. Ita communis sententia contra Vincetium Contenteson, & alios quosdam, ut patet ex 1. p. à num. 80. Probatur primo ex sacra Scriptura, in qua dicitur Eccles. 24. *Ab initio, & ante secula creata sum*, quod Ecclesia in officio B. Virgini appropriat, intelligendo scilicet in mente Dei, quia quoad existentiam physicam constat ex lib. Genes. primos homines fuisse Adamum & Evam, & quia eodem loco nempe Eccles. 24. dicitur. *Primogenita ante omnem creaturam*. Ideò est verè prima titulo Creationis.

N. 1896. Probatur *secundò*. B. Virgo est prima inter puras creaturas prædestinatione: ergo est prima titulo Creationis in mente Dei. Ant. Prob. ex S. Augustino Tract. 8. in Joannem.

*Ante-*

*Antequam filius de ea natus est, in prædestinatione noverat Matrem, & quemadmodum noverat ipsam ut Matrem suam, ita elegit ipsam in Matrem totius mundi. Adeoque est omnium prima in electione Dei, aliàs non potuisset eligi ut Mater omnium*

N. 1897. Dico *secundò*. B. Virgo est Primogenita Dei Patris titulo Redemptionis per mortem Christi. Probatur primò. Redemptio præservativa est prior in dono, seu perfectior & nobilior, quàm liberativa, sed B. Virgini fuit à Deo Patre intenta Redemptio præservativa à peccato de se incurrendo, cæteris econtra omnibus Redemptio liberativa ab eo incurso: ergo Deipara Virgo est Primogenita titulo Redemptionis per mortem Christi. *Confirmatur* ex S. Augustino super Genes. ad litt. *Majior gratia impenditur illi, cui conservatur innocentia, quàm cui remittitur culpa, quia nempe talis præservatur à culpa & à pœnis culpæ debitis, à pudore, & ignominia, & ab irreparabili jactura innocentia, & sic longè à pluribus malis liberatur; quia ergo hoc convenit Deiparæ mediante Redemptione præservativa per Christum, ideò verè prima est titulo Redemptionis à cœlesti Patre ipsi intentæ, & per Christum exhibendæ*

N. 1898. Dico *tertiò*. Deipara Virgo est etiam primogenita Filia Dei Patris titulo Adoptionis per gratiam habitualem. Probatur ex eo, quòd B. Virgo habuerit gratiam adoptionis majorem, & perfectiorem, quàm habuerint omnes sancti Angeli, & homines simul

sumpti, idque jam pro primo conceptionis instanti, uti ostendimus p. i. q. 10. a. 2. ergò est verè primogenita filia Dei Patris titulo Adoptionis hoc ipso, quòd habeat majorem gratiam adoptivam. *Confirmatur*. Dignitas Matris Dei excedit omnes dignitates juxta SS. Patres, & ut notat S. Thomas 3. p. q. 7. a. 10. *In Matre Dei fuit gratia tali dignitati proportionata; ergo & gratia B. Virginis omnes alias excedit, & sic B. Virgo est prior omnibus dignitate & perfectione gratiæ adoptantis.*

N. 1899. Dico *quartò*. B. Virgo est etiam primogenita Filia Dei Patris titulo Vocationis ad hæreditatem cœlestem. Ratio est, quia sicut excedit omnes in gratia, ita excedit etiam in gloria, adeoque sicut Primogenita est, & nobilissima in gratia, ita pariter est in gloria. *Confirmatur* ex Bernardino Senens. tom. 3. serm. 3. de gloria B. Virginis a. 2. cap. 1. dicente: *Certitudinaliter tenendum est, quòd ipsa sit supra omnem puram Creaturam in gloria exaltata, tanquam per se implens, & complens unum integrum, ac totalem statum, cui secundum rectam rationem altera persona congruè non potest addi, quia nullatenus deest filium Dei, nisi unam solam Matrem naturalem habere, sed ratio naturalis dicitur, quòd Mater Regis omnium prima sit in sede regia super omnes Ministrorum ordines collocata; unde etiam Ecclesia canit: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna. Ergo B. Virgo verè Primogenita est titulo Vocationis ad cœlestem hæreditatem.*

## ARTICULUS II.

*Utrum B. Virgo sit Christi Domini  
Soror, Sponsa, & Mater?*

N. 1900. **O**bservo, non unum tantum Elogium esse B. Virginis, sed plura ex merito eidem tribui. Diximus Filiam Dei Patris omnibus titulis Primogenitam, & insuper titulo Maternitatis Dei condecoratam, per quam in gradu longè excellentiori, quàm filia adoptatur, & immensum præstantius quàm reliqui justi sanctificatur, cum ipsa Maternitas, uti supra ostendimus, forma sanctitatis sit præstantissima. Præsupposito hoc titulo tanquam excellentissimo quæritur, utrum etiam dicatur Soror, Sponsa, & Mater Jesu Christi? ad quod

N. 1901. Dico *primò*. B. Virgo rectè dicitur Soror Christi, & probatur 1. ex S. Gregorio Nysseno homil. 4. in Cant. qui hæc verba Cant. 3. *Soror nostra parvula, sic exponit: sicut rosa inter Spinis. sic Soror nostra inter filias, non amplius propinqua, sed Soror, postquam ergo facta est flos, nec à Spinosis lesa fuit tentationibus, quo minus lilium esset, oblita populi, & domus Patris, & Matris sue aspexit ad verum Patrem, & ita vocatur Soror Domini.* Hoc est, quia filia est Dei Patris, hoc ipso Soror est Christi, qui filius est cœlestis Patris.

N. 1902. Probatur *secundò*. Christus nos constanter nominat fratres: *nuntiate fratribus meis.* Matth. 28. *dixerunt*

*ad eum fratres ejus.* Joan. 7. *vade ad fratres meos.* Joan. 20. Ergo si omnes sumus fratres, & sorores Christi, nequit hoc elogium B. Virgini abnegari, quòd sit soror Christi. Insuper omnes nominamur cohæredes Christi ad Rom. 8. & 1. Petri 7. relatè nempe ad cœlestem hæreditatem: ergo quia talis indubiè etiam est B. Virgo, hæc jure vocatur soror Christi.

N. 1903. Dico *secundò*. Deipara Virgo etiam gloriatur elogio Sponsæ Christi. Probatur *primò* ex S. Adelelmo lib. de laud. Virg. cap. 22. ubi Mariam Virginem vocat *Nurum Patris* his verbis: *B. Virgo Nurus Patris.* Nurus autem vocatur Sponsæ filiorum. Deinde B. Virgo est præcipuum membrum Ecclesiæ, quam sibi Christus desponsavit, & quidem tale membrum Ecclesiæ, quod nomine totius Ecclesiæ consensum dedit pro desponsatione, ut docet S. Thomas 3. p. q. 30. a. 1. dicens: *congruum fuit B. Virgini annuntiari, quòd esset Christum conceptura, ut ostenderetur, esse quoddam spirituale Matrimonium inter filium Dei, & humanam naturam, & ideò per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humane nature.*

N. 1904. Probatur. Omnes justorum animæ vocantur Sponsæ Christi juxta illud Matth. 25. *Simile est Regnum caelorum decem Virginibus, quæ exierunt obviam Sponso, & Sponsa: ergo B. Virgo est Princeps Sponsa Christi, cum reliquæ justorum animæ sint tantum famulæ, & pedissequæ Deiparæ. Confirmatur.* In sacrorum Sponsalium Cantico

tico quinquies divinum Verbum appellat Mariam Sponsam cap. 4. v. 8. *veni de Libano Sponsa mea.* & v. 9. *vulnerasti cor meum soror Sponsa mea.* & v. 10. *quam pulchra sunt mamma tua soror mea Sponsa &c.* quæ verba de B. Virgine literaliter intelligunt non solum communiter sacri Interpretes, sed etiam S. Birgittæ lib. 6. revel. cap. 6.

N. 1905. Dico 3. præstantissimum omnium elogium est, quod sit vera Mater Christi Patri æterno suo modo similis. Nam imprimis de veritate Maternitatis Dei constat ex p. 2. q. 4. a. 4. quod verò Patri æterno sit suo modo similis, inde convincitur, quia sicut Pater cœlestis totum filium solus generat sine Matre, ita B. Virgo totum filium generat sola sine Patre. Item quia sicut Pater in cœlis, ita ipsa generat quæ Virgo, manens talis ante partum, in partu, & post partum. Unde S. Damascenus Orat. 1. de Nativ. ait: *O filia semper Virgo, quæ virili opera ad conceptionem minimè opus habuisti; sempiternum enim Patrem is habet, quem peperisti.* Item filium habet communem Patri, ille ipse nempe, qui filius naturalis est Patris, filius naturalis est Virginis Matris, quo nihil aliud dici potest excelsius, ut meritò advertit Bernardinus Senens. tom. 1. Serm. 52. a. 3. cap. 2.

### ARTICULUS III.

*Utrum B. Virgo verè dicatur Sponsa Spiritus sancti?*

N. 1906. **O**bservo, Deipara Virgo plures Sponfos Spirituales habuit, sic legitur de S. Roberto Cisterciensium Institutore, quod sanctissima Virgo eum sibi desponsaverit dato annulo: idem beneficium accepit Hermannus Præmonstratensis. Et tertius hoc favore insignitus fuit B. Alanus de Rupe; & hæc erat desponsatio B. Virginis cum hominibus. In præsentem inquirimus, quomodo ipsa fuerit desponsata Deo per tertiam in Trinitate personam, quæ est Spiritus sanctus?

N. 1907. Dico primò. Spiritus sanctus Mariam docuit, quomodo se ad desponsationem præpararet. Probatur primò ex verbis S. Lucæ cap. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te,* & deinde primum additur: *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* In quod S. Anselmus lib. de Excellent. Virg. cap. 11. ait: *Spiritus sanctus venit corporaliter in Mariam, id est reipsa, & verè, non in umbris tantum, & figuris legis veteris, & ipsam sicut in tota vita ex toto venit movendo linguam, ne verbum inutile proferret, movendo oculos, & aures, ne visu, vel auditu excederet, dirigendo etiam minimas cogitationes, affectus voluntatis, & sensationes, ne sine Spiritu S. instinctu, & motione fierent, maxime autem Spiritus sanctus eam rexit, ut in opere Incarnationis, in quo facta est propria desponsatio, se debitè haberet, unde ipsi inspiravit, ut pro acceleratione Incarnationis preces funderet, perpetuum virginitatis propositum*

fitum in animo conciperet, viro se desponsari permetteret, & animum alienum à copula retineret, & pro digno Dei habitaculo præpararet: ergo docuit eam modum præparationis pro desponsatione.

N. 1908. Dico *secundò*. B. Virgo fuit vera Sponsa Spiritus sancti. Probatur *primò*. Quia licet omnes animæ justæ sint Sponsæ Spiritus sancti, principaliter tamen est B. Virgo; ab ipsa enim specialiter requisitus fuit consensus per Angelum Gabrielem, qui idcirco etiam Mariæ vigilanti apparuit non dormienti sicut Josepho, quia consensus Matrimonialis debet esse liber, & ideò à vigilante peti, non à dormiente eripi. *Confirmatur*. Præterquam quod B. Virgo fuerit gratia incomparabili repleta, & inde Sponsa Spiritus S. effecta, uti alii iusti, insuper fuit à S. Spiritu obumbrata, fœcundata, & gravidata, ut loquitur S. Augustinus Serm. 18. de tempore dicens: *quid est, quòd Dominus solus intrat, & egreditur per eam, nisi quod Spiritus S. impregnavit eam.* Ergo fuit Sponsa Spiritus S. longè sublimiori, & magis propria ratione quàm reliqui iusti.

N. 1909. Probatur *secundò* ex SS. Patribus, ex quibus rursus S. Augustinus ait Serm. de Assumpt. *Hæc est, quæ sola meruit Mater, & Sponsa vocari.* & S. Ildephonsus Serm. 1. de Assumpt. *Tantis eam Dominus insignivit virtutibus, ut Sponsa jure dicatur, & Mater sui Creatoris.* Item S. Chrysologus Serm. 146. *verè Sponsa, quæ virginali partu novam*

*Christi reliquit infantiam.* S. Epiphanius Serm. de laud. Mariæ: *invenitur Virgo esse cælestis Sponsa, & Mater.* S. Petrus Damianus Serm. de Assumpt. vocat *sancto conjugata Spiritui.* Et B. Amadæus homil. 3. de laud. Virg. *tali Sponso jungèris, à tali Marito fœcundaberis.* Et denique Gerson super Magnificat Alphabet 83. *Beatam respice primo modo, dum ab instanti suæ creationis iniriatum est Matrimonium cum eterno Sponso Deo per Arrham fidei, Spei, & Charitatis, & ceterarum virtutum.*

N. 1910. Objicies *primò*. Spiritus S. nequit dici Pater Christi secundum carnem, uti docet S. Thomas 3. p. q. 32. a. 3. ergo neque verè & propriè dici poterit Sponsus B. Virginis in ordine ad generationem Christi. *Respondeo*. cum eodem S. Thoma, nomen Patris sumi non à quocunque principio activo, aliàs ignis generans esset Pater ignis generati, sed accipi ex eo, quod aliquid generetur in similitudinem generantis; *Christus autem secundum quod homo, conceptus est de Spiritu S. sicut de principio activo, non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de Patre suo, & ideò Christus non dicitur filius Spiritus S., nec iste Pater ejus.* Potest tamen dici, & rectè dicitur Sponsus Mariæ Virginis, quia per modum principii activi verè fœcundavit, ut B. Amadæus loc. cit. ait. & verè impregnavit, uti S. Augustinus loc. alleg. habet.

N. 1911. Objicies *secundò*. Spiritus sanctus non tantum reipsa, sed etiam quoad nomen est Virgo, quia nec generat,

nerat, nec generatur, sed tantum spiratur. Ergo ipsi nequit attribui nomen Sponsi, nec Mariæ Virgini nomen Sponsæ relatè ad Spiritum S. *Respondeo*, nomen sponsi, vel sponsæ non dari cum detrimento vel præjudicio virginitatis, cum dari possit, & detur sponsus virgineus, & sponsa virginea, qualis est Christus relatè ad animas justorum, uti etiam S. Joseph respectu Mariæ Virginis, & Maria Virgo respectu S. Josephi. Ita etiam S. Spiritus verus Sponsus est Mariæ Virginis, quia obumbratio ejus omnis delectationis venereæ expers fuit ex parte Virginis, & impossibilis ex parte Spiritus sancti.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Deus plus diligat unam Deiparam, quam universam Ecclesiam dempta Virgine?*

N. 1912. **O**bservo, dubium esse non posse, quin Deus in eminenti gradu diligat B. Virginem, nam cum amor Dei sit effectivus, colligitur ex ipso effectu, quo fuit in Matrem propriam electa, quòd Deus ipsam præ aliis habuerit in amore, & pretio. Quæstio tamen agitari solet, utrum Deus plus dilexerit & actu diligat Matrem suam, quam universam Ecclesiam dempta Virgine? Circa quod nonnulli Doctores sequuntur Abulensem in Prolegom. 1. Matth. quæst. 19. & cum eo negativam propugnant; sed communior est contraria cum Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 18. sect. 4. conclus. 2. cum qua

N. 1913. Dico. Deus plus diligit unam Deiparam, quam universam Ecclesiam Virgine dempta. Probatur primò ex SS. Patribus, inter quos S. Petrus Damiani ait: *Attende Seraphin, & videbis, quidquid majus est, minus esse Virgine, solùmque opificem opus illud supergredi.* Quod verum non esset, si Ecclesia hoc opus excederet, quia tunc non solus artifex illud superaret, sed etiam artefactum, quod est Ecclesia. Idem confirmat S. Andreas Cretensis serm. de dormit. Deip. *excepto Deo solo es omnibus altior.* Ergo altior est universa reliqua Ecclesia, quia solus Deus excipitur. Consonat S. Damascenus orat. 1. de dormit. Virg. *Dei Matris, & servorum infinitum est discrimen:* sed non foret discrimen infinitum, si à finito, cujusmodi est Ecclesia æquari, vel superari posset. Et S. Anselmus de Laud. Virg. cap. 9 *decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequeat intelligi:* ergo major esse debet, quam est in tota Ecclesia, secus non foret maximus sub Deo. Idem Anselmus, vel Eadmerus lib. de Excellent. Virg. cap. 4. inquit: *Ostendit ergo amorem erga Matrem, qua nullum putemus esse posse majorem.* Quod confirmat Bonaventura in specul. cap. 6. *quid mirum, si præ omnibus diligat, que præ omnibus est dilecta?* ergo sententia Patrum est, quòd Deus plus diligit Matrem, quam totam Ecclesiam, & reliquos sanctos.

N. 1913. Probatur secundò. Amor Dei est effectivus, & illud is censetur plus diligere, cui plus bonitatis, &

dignitatis confert; atqui plus dignitatis, & bonitatis contulit suæ Matri, quàm universis reliquis fidelibus, seu Ecclesiæ: ergo plus diligit Matrem suam, quàm universam reliquam Ecclesiam. min. prob. si munia omnium sanctorum & dignitates conferantur in unam dignitatem, non possunt æquare dignitatem Matris Dei, cum munia, & officia servorum, qualiumcunque sint, nunquam ascendant ad dignitatem Matris Dei, & sic neque ad gratiam, & bonitatem Matris Dei: ergo hanc Deus plus diligit, quàm omnem reliquam Ecclesiam. *Confirmatur.* Deus plus diligit humanitatem Christi, quàm omnem reliquam Ecclesiam tum propter unionem hypostaticam, tum propter gratiam habitualem, & ejus intensionem gratiæ Maternitate Dei dignificatam, quia hæc æquè excedit gratiam omnium justorum, quàm gratia Christi.

N. 1914. Probatur *tertiò* ex Methodio ferm. de Purif. Virg. ubi eam sic alloquitur: *Euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur; Deo enim universi debemus, tibi autem ille debet.* Ex quo debito sic argumentor. Deus nihil debet cæteris justis, & Ecclesiæ, debet autem qua subsistens in humanitate suæ Matri, & quidem tanta debet, ut, etsi totum det, & plus quàm habet universa Ecclesia, tamen non exsolvat debitum, seu non exæquet id, quod à Matre accepit quæ homo, nempe vitam infiniti pretii: ergo omnino dedit plus suæ Matri, quàm habet universa Ecclesia, ut hac

ratione exsolvat debitum suum, quantum congruè saltem fieri potest. *Confirmatur.* Alius quiscunque filius censeretur durus, & ingratus, si homines extraneos, quibus prorsus nihil debet, præferret Parentibus, & his ne quidem vellet, cum commodè posset, meliora bona præstare; ergo etiam Deus-homo videretur durus, si Matrem, cujus debitor est, posthaberet multitudini reliquorum fidelium, quibus nihil debet.

N. 1915. Objicies *primò*. Pars non est dignior toto, nec plus amari meretur, quàm totum: atqui B. Virgo est pars, & universa Ecclesia totum: ergo B. Virgo non plus amatur, quàm tota Ecclesia. *Respondeo*, B. Virginem non comparari cum tota Ecclesia, prout hæc includit etiam B. Virginem, vel Christum Dominum, sed prout comparatur cum reliquis fidelibus dempto Christo, & B. Virgine, & sic hæc in æstimatione, & valore longè plus est, & quid majus, quàm reliqui fideles; instantia est in Christo relatè ad reliquam Ecclesiam etiam inclusa B. Virgine, item in cælo Empyreo, quod pars nobilissima est totius mundi, & magnitudine, pulchritudine, & æstimatione quid longè præstantius, quàm reliquæ mundi partes etiam simul sumptæ.

N. 1916. Objicies *secundò*. Virgini Deiparæ sunt collata omnia privilegia propter Ecclesiam sanguine Christi ablutam juxta illud: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna filio.* Ergo tota Ecclesia major, & dig-

dignior est una sola Deipara Virgine, ac proinde Deus plus diligit totam Ecclesiam, quàm Deiparam Virginem. *Respondeo*, quòd sicut Christus Dominus non fuit à Deo dilectus propter reliquos homines, sed propter suas perfectiones, ita etiam B. Virgo non fuerit à Deo dilecta propter Ecclesiam, sed propter se; suprà enim ostendimus l. p. q. 2. quòd Christus, & Virgo Deipara sint causa finalis omnium rerum, propter quam omnia facta sunt, unde quando dicitur, quòd Christus & Mater ejus sint propter peccatores, *ly propter* denotat non nisi causalitatem causæ materialis, quatenus peccata sunt materia per ipsos destruenda, non quòd ipsi peccatores plus apud Deum valeant, & magis diligantur, quàm Christus, & Mater ejus.

N. 1917. *Objicies tertio*. Si B. Virginem Deus plus diligeret, quàm totam Ecclesiam, tunc etiam ipsius meritum plus valeret, quàm omnia justorum merita; sed hoc est nimis incertum, & vix dicendum: ergo neque hoc, quòd Deus plus diligit Virginem, quàm totam Ecclesiam. *Respondeo*, hoc esse conforme SS. Patribus, & omninò tenendum: quia imprimis S. Gregorius Magn. in lib. 1. Reg. cap. 1. sic disserit: *An non sublimis Maria, qua, ut ad conceptionem aeterni verbi pertingeret, meritorum verticem suprà omnes Angelorum choros ad solum Deitatis vexit.* Quid est hoc dicere, quàm quòd Virgo B. jam in conceptione Verbi superaverit omnium Angelorum merita, ut nimirum præ universis aliis

digna existeret? Et quid est erigere meritorum verticem usque ad solum Deitatis, quàm omnes alios merentes superare, & se Deo proximam efficere? & certè B. Virgo nunquam operata est cum defectu, sed semper juxta vires crescentis gratiæ. Quo modo eum singulis vitæ momentis duplicavit, & ita in fine vitæ necessariò eo pervenit, ut totam Ecclesiam superaverit, etsi daretur, quod antea non fuerit omnibus justis collectivè sumptis superior.

N. 1918. *Objicies quarto*. Christus principaliter venit ad delendum originale, ergo magis Deus dilexit Ecclesiam Christi sanguine abluendam, quàm Mariam Virginem. *Respondeo*, Christum primariò venisse propter Redemptionem præservativam, & secundariò propter liberativam, quia præservativa melior est, quàm liberativa, uti suprà probavimus, & de se evidens est, adeoque magis dilexit Matrem, quàm reliquos homines collectivè sumptos, quos tantùm intendit liberare, non præservare; plus etiam dilexit Matrem, quàm Angelos, quia hi tantùm servi sunt, illa Mater, & ideò canit Ecclesia: *exaltata est sancta Dei genitrix suprà choros Angelorum*, quod idem est ac suprà universos Angelos.

## ARTICULUS V.

*Utrum Deus plus cognoscatur ex Virgine, quàm ex cæteris creaturis simul sumptis?*

N. 1919.

N. 1919. **O**bservo, certum esse, quòd Deus ex creaturis possit cognosci. Sic enim ait S. Augustin. tract. 2. in Joan. *Potest inveniri per creaturas evidenter dicente Apostolo ad Rom. 1. quod notum est Dei manifestum est in illis* (sapiencibus hujus mundi) *Deus enim illis manifestavit; invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Inquirimus ergo in præsentì, utrum Deus plus ex Virgine, quàm ex cæteris creaturis simul sumptis cognoscat? ad quod

N. 1920. **D**ico. Plus cognoscitur Deus ex Virgine Deipara, quàm ex cæteris creaturis simul sumptis, ita Christophorus Vega in Theol. Marianum. 1811. Probatur *primò*. Licet existentia Dei ut sic possit evidenter cognosci ex creaturis dempta Virgine Deipara, non potest tamen clarè cognosci existentia Dei ut Trini sine Virgine Deipara: ergo plus cognoscitur Deus ex Virgine, quàm ex cæteris creaturis simul sumptis. Ant. quoad primam partem, quòd non possit ex cæteris creaturis clarè cognosci quæ Trinus, patet, licet enim dentur quædam similitudines sanctissimæ Trinitatis, sicut *esse, nisse, velle* in una anima sunt, & ideò homo ad similitudinem Dei creatus esse dicitur, tamen inde non deducitur clarè Trinitas Dei, adeò quidem, ut veteres Philosophi quamvis saniores, & oculatioribus nihil de unitate naturæ in tribus personis realiter distinctis vel mi-

nimum subodorati sint. Quoad secundam partem de B. Virgine idem antecedens probatur, quia per cognitionem Virginis Deiparæ ut sic ascendit intellectus noster ad pluralitatem divinarum personarum; non enim Mater filii Dei vocari posset Deipara, si filius Dei non constitueret distinctam in Trinitate personam à Patre, nam hoc ipso, quod sit filius, à Patre distincto est progenitus, cum nemo à seipso generetur; similiter etiam Spiritus S. tanquam tertia persona ex Virgine Deipara cognoscitur, dum dicitur Matth. 1. *Inventa est in utero habens de Spiritu S.* Et iterum: *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Item Luc. 1. *Spiritus S. superveniet in te:* Ergo plus cognoscitur Deus ex Virgine Deipara quàm tali, quàm ex cæteris creaturis simul sumptis dempta Virgine.

N. 1921. Probatur *secundò*. Theologi communiter tradunt in tract. de Angelis, quòd Angelus inferior perfectius cognoscat Deum per cognitionem Angeli superioris, quàm per propriam sui ipsius cognitionem, item per cognitionem plurium aliarum creaturarum, quam per cognitionem sui solius; quia ex perfectiori effectu perfectius cognoscitur causa, & per cognitionem creaturarum plures à Deo perfectiones attinguntur, atqui opus omnium perfectissimum à Deo conditum est Deipara Virgo, utpote quæ essentialiter connectitur cum Deo-homine, cujus Mater est, & dignitatem in se moraliter quasi infinitam continet, ac proinde in suo esse, cogni-

cognitione, & amore universas puras creaturas excedit: ergo ex Deipara Virgine magis cognoscitur Deus, quàm ex aliis creaturis simul sumptis. Confirmatur Autoritate S. Bonaventuræ in speculo B. Virg. *Gloria Domini relucet in Maria plenissime*; nam præter assumptam à verbo naturam, nullum est opus, nulla creatura, in qua tanta divine gloriæ materia relucent. Et D. Bernardinus Senens. tom. 1. serm. 61. a. 6. cap. & tom. 3. serm. 11. a. 1. cap. 2. *Singularis magnificentia Dei fuit B. Virgo, quia in ejus exaltatione plus magnificatur, & etiam in ejus humiliatione, devotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione plus magnificat Deum, quàm omnis creatura simul sumpta.*

N. 1922. Probatur tertio. Unus gradus gratiæ plus bonitatis, & perfectionis propter jus ad cœlestem hæreditatem continet, quàm tota natura simul sumpta cum omnibus suis naturalibus perfectionibus, uti Theologi pro certo habent; jam verò Deipara Virgo adunatos habet plures gradus gratiæ, quàm omnes iusti simul, uti supra satis manifestè deduximus, & quia insuper hi ipsi gradus, quatenus adjuncti per se perfectiores sunt quàm in pluribus dispersi, idè B. Virgo perfectior in se est, quàm omnes reliquæ creaturæ simul sumptæ, & quæ perfectior plus magnificat Deum, & excellentiorem de eo notitiam infert, quàm omnes illæ; & idè rectè dixit illa Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum.* In quod S. Bernardus homil. 3. super missus ait: *Erit magnus (vox est Angeli)*

*sed quare hic erit, & non potius est magnus, qui semper aequaliter magnus, non habet, quo crescat, nec major post conceptum futurus sit, sed verissime ipsa Virgo intonat: Magnificat anima mea Dominum, nempe quoad nos, & in esse nobis noti.*

N. 1923. Objicies primo. Major gloria Dei resplendet ex multitudine Angelorum, cum unus alterum in perfectione excedat, & inde manifestet, quænam perfectio, & activitas in Deo emineat: ergo etiam ex multitudine creaturarum magis Dei magnitudo, & perfectiones manifestantur, quàm ex sola Matre Dei. Respondet, ex multitudine creaturarum innotescere varietatem divinarum perfectionum, quas Deus manifestare intendit, pro qua obtinenda etiam peccata & defectus serviunt: hinc autem loquimur de eminentia ipsarum perfectionum, quarum una alteram toto ordine excedit: sic gratia toto ordine excedit naturam, & idè vel minimus gratiæ sanctificantis exsuperat omnes perfectiones naturales etiam collectivè sumptas; melior enim est intuitiva Dei visio, cujus principium est gratia, quàm omnis cognitio naturalis, quæ non est nisi per effectum, & similiter etiam unio hypostatica excedit toto ordine gratiam communiter dictam, quia majorem adhuc unionem cum Deo infert, nempe per communicationem personalem, cum gratia communiter dicta tantum inducat unionem per communicationem intentionalem in esse objecti, Maternitas Dei autem spectat ad unionem cum

Deo in esse personali, & sic est superioris ordinis, quàm gratia simpliciter dicta, & inde etiam major perfectio, qua mediante Deus magis communicatur ad extra, & bonitas ejus manifestatur.

N. 1924. *Objicies secundò.* Deus magis laudatur per plures, quàm per unum: ergo laus, & gloria Dei major resultat ex omnibus justis quàm ex sola Deipara Virgine. *Respondeo,* majorem gloriam, & laudem Dei sumi à majori communicatione Dei ad extra, & à majori noticia Dei, eaque pri-

mariò ex cognitione intensiva, & deinde ab extensiva, magis autem Deus communicatur ad extra suæ Matri, quàm suis servis, in esse personali, quàm in esse intentionali, majorem etiam intensivè notitiam de Deo habet Deipara Virgo, quàm omnes justii collectim sumpti, quamvis totus Beatorum exercitus majorem extensivè notitiam habeat, quia hoc non impedit, quo minus sola Christi humanitas, vel sola Deipara magis Deum laudet, honoret, & glorificet, quàm reliqui Sancti simul sumpti.



## QUÆSTIO VI.

DE

### MORTE BEATÆ VIRGINIS.

#### ARTICULUS I.

*Utrum B. Virgo verè mortua fuerit?*

N. 1925. **O**bservo, esse Doctores, qui mortuam fuisse B. Virginem omnino negent.

Quos, ut ait Serrii in Exercitationibus criticis Exercit. 65. longo ordine recenset Franciscus Macedo tom. 1. de clavibus Petri lib. 4. p. 2. de peccat. origin. sect. 3. inter quos etiam est Timotheus Presbyter orat. de S. occurfu. His ex parte consonat S. Epiphanius, non quod absolutè neget mortem ejus, sed quod in dubium

vocet lib. de hæres. hæresi 78. in-  
quiens: *non dico, quòd immortalis mansit, sed neque affirmo, an mortua sit.* Quæritur ergo, an verè mortua sit? ad quod

N. 1926. Dico. B. Virgo est verè mortua. Ita certa sententia Ecclesiæ, & probatur *primò.* Ex universali traditione, quæ hunc per totum orbem felicem transitum, & mortem B. Virginis celebrat, & quia dies obitus pro die 15. Augusti passim in Martyrologiis Bedæ, Ussuardi, Adonis, & Romano annotatur, insuper unanimi

con-